

penetrare. Corporum ergo datur penetratio. Misella philosophia, quæ post solutas hasce eius ambages, in easdem nugas recidit. Demonstratum namque iam antea est. Penetrationem hanc corporum, velari in antitypis corporibus, et materiatis. Hæc autem quæ modo tractamus, corpora quidem sunt, sed incorporata, hoc est immateriata, et antitypa minime. Rarissima supra omnem antityporum raritatem; tenuis sima, supra omnem horum tenuitatem. Et confessa igitur, et concessa inter sapientiores illos, suit hæc corporum horum scilicet penetratio, et usque ad centrum permeatio. De lumine namque ita canit oraculum quoddam.

Κέντρῳ ἐπισπερχῶν ἑαυτὸν, φωτὸς κελάδοντος.

“Centro incitans se ipsum, lumine strepente.”

De igne vero seu calore, seu Empyreo ita iterum.

Ἀνωθεν διήκοντος διαμπὰξ ἐπὶ τὸ καταντικρὺ.

Διὰ τοῦ κέντρου τῆς γῆς, καὶ πέμπτον μέσον ἄλλον.

Πυρίοχον: ἔνθα κάτεισι μέχρι ὑλαίων ὀχετῶν.

Ζωηφόριον πῦρ.

“Desuper penetrantis, per universum, ad oppositum

Per centrum terræ, et quintum medium alium.

Igniferum. Unde descendit usque ad materiales canales

vitifer ignis.”

Sed cur, iterum lumen dicimus supramundanum, cum ipsum, mundi infiniti pars melior sit, et sit etiam animatum. Nam de fontano animo ita canit oraculum.

Ἀρδῆν ἐμψυχοῦσα φάος, πῦρ, αἰθέρα κόσμους.

“Abunde animans, lumen, ignem, æthera mundos.”

Animat, inquit, hæc fontana anima, primo lumen. Deinde ignem, Empyreum mundum scilicet, æthera universum in tres distinctum, uti diximus, mundos, et mundos tres alios, hosce materiales, et hylæos. Anima namque sui natura animat tam lumen, quam sequentes mundos.

Esto igitur sane hac ratione lumen hoc mundanum. Priore illa esto supramundanum. Suo enim calore, sibi que proprio, Anima hæc animat cuncta. Cecinit enim: Θερμὴ ψυχοῦσα τὰ πάντα. Calida animans cuncta. Cur autem vocata sit calida, iam est antea dictum.

Ὅτι ψυχῇ, πῦρ δυνάμει πατρὸς οὐσα φαεινὸν.

Ἀθανατος τε μένει, καὶ ζωῆς δεσπότης ἐστίν.

“Καὶ ἴσχει κόσμου πολλὰ πληρώματα κόλπων.

Quia animus, ignis potentia patris existens, lucidus.

Immortalis manet, et vita dominus est.

Et tenet mundi, multas plenitudines sinuum.”

Hæc de entibus, Empyreo mundo superioribus, satis sunt. Nunc ipsum Empyreum uti proposuimus aggrediamur. Hic quidem a Christianis Theologis, libentissime est susceptus.

Non equidem uti sphaera solida, sicuti Chaldæi, sed uti orbis, qui supra cælos æthereos positus, illos complectitur. In quo dicunt Deum, beatas Mentis fœlicesque animas, a corpore hoc solutas, habitare, et perpetua apud Deum frui beatitate. Neque vero Chaldaicum tantum hoc dogma fuit. Sed etiam Ægyptium. Iamblichus namque scripsit Hermetem Trismegistum, de Empyreis Diis, libros C reliquisse. De Æthereis totidem. De Coelestibus mille. Ex quo testimonio, inferimus nos, Hermetem quoque has tres substantias inter se differentes cognovisse et docuisse. Sed modo Empyreum prosequamur. Lumen illud primæuum a Dei luce fuit seminibus rerum omnium prægnans. A lumine hoc fuit calor primævus. A calore primævo, primævus ignis, Empyreus scilicet mundus. Sed quis eum construxit? Respondet Zoroaster.

Νοῦ γὰρ, ὅς ἐστίν ὁ κόσμου τεχνίτης πυρίου.

“Mens namque, quæ est mundi artifex ignei.”

Est quidem a mente opifex scilicet constructus, ea quæ proxima est rerum conditrix.

Intellectum autem hunc, qui artifex Empyreus mundi fuit, vocavit fontanum.